



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 263. Quæres emi vendique possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

nobilitati jacturam non inferat, præsertim apud universitates, quæ ferè ex solis commerciis beatitudinem suam metiuntur, ut sunt Veneti, Genuenses, Florentini, Hollandi, &c. vide apud Muller. *loc. cit. qui tamen lit. d.* rectè ait, hanc prohibitionem mercaturæ cum moderamine intelligendam, ita ut nullatenus venentur nobiles, aut etiam nullum nobilitati præjudicium inferat vendere fructus agrorum & fundorum propriorum, etiam reservando illos in tempus, dum pluris valent juxta limitationem paulò post subjungendam. Quamvis, ut idem, regulariter per *cit. l. 3. §. 1. 6. C. de dignit.* iis non liceat ex dictis fructibus conficere & vendere cerevisiam; cum civium hæc potissima sint commercia.

5. Resp. quintò: Emptionem & venditionem inter ægrotum & Medicum prohibitam, & factam rescindendam adductis variis textibus putant aliqui apud Struv. *in ff. h. r. thes. 3.* & Muller. *ibid.* Verùm, ut iidem, id ex illis textibus deduci nequit; uti etiam aliunde nil vetat, quò minus durantè adhuc morbo, Medicus justo pretio, palam & bona fide rem ab ægrotò, quam is venalem habeat, & venditurus erat, emere valeat sic, ut nulla extorsio (ob quam aliàs vetatur talis emptio) appareat, aut cur talis emptio sit rescindenda; cum planè iniquum esset, rem pro eodem pretio, quò cuius vendenda erat, Medico emendam denegare. Muller. *loc. cit. lit. n.* quamvis consultius esse dicat Strik. *de cautel. contract. sect. 2. c. 8.* expectare medicum usque dum ægrotus ad sanitatem reversus, vel adhibere testes, qui de libera voluntate ægri testentur.

6. Resp. sextò: Sic quoque prohibitam esse venditionem & emptionem similesque contractus onerosos inter Advocatum & clientem vulgo traditur per *l. 6. §. 2. C. de postulat.* Verùm rectius dicitur illo textu & aliis prohibitos solum esse contractus & pacta de quota litis & illicita mercede, uti colligitur ex *§. subseq. Struv. cit. ib. 3.* Muller. *ibid. lit. n.* Donell. &c.

**Quæst. 263. Generalis: quæ res emi vendique possint?**

**R**esp. Omnium rerum, quas quis habere, possidere, vel prosequi potest, venditio (& consequenter etiam emptio) rectè fit. Quas verò natura vel jus gentium, vel mores civitatis (adde, vel jus divinum, canonicum vel civile; aut statutum locale) commercio exemerunt, nulla venditio est, pro ut ait textus *L. si in emptione. §. 1. ff. de contrab. empt.*

**Quæst. 264. Res non existentes an & qualiter emi & vendi possint?**

1. **R**esp. primò: Res, quæ non existit, neque existitura, aut à me obtinenda speratur, etsi de cætero non repugnet eam esse in rerum natura, aut etiam aliquando existit, in emptionem deduci non potest, *l. 15. ff. h. r. l. 69. de V. O. §. 1. Instit. de inutil. stipulat.*

R. P. Leur, *Jur. Can. Lib. III.*

2. Resp. secundò: Res tamen actu quidem non existentes, sed solum in potentia, aut etiam in causa sua naturali, ut sunt fructus futuri & partus animalium, jactus aleæ vel retis, captura piscium vel avium, &c. emi possunt & vendi, ut constat ex *L. ne emptio. ff. de contrab. empt.* Et quidem duplici modo ita nimirum ut ematur vel ipsa res futura, vel nuda spes rei futuræ; etsi enim spes illa incerta sit ratione & respectu rei, quæ speratur, utpote absolute loquendo indifferentis ad futuritionem & non futuritionem, non tamen propterea contractus emptionis spei est nullus; non enim præcisè requiritur, ut res jam actu existat, aut certò existitura sit, sed sufficit, quòd verisimiliter sit existitura seu futura. Muller. *ad Struv. in ff. h. r. thes. 26. lit. v.* Neque etiam emptio jactus aleæ est emptio non entis; cum aleam vult vendere, saltem aleam habere debet, id est, jus v. g. piscandi aut feras capiendi, quod vel ipse suo periculo commodè exercere possit, vel alteri spem pretio ementi ipsius periculo commodè exercendum concedere potest; adeoque etiam in emptione aleæ emolumentum illud, quod emptor spe sibi destinat, incertum, ipsum tamen jus piscandi ei concessum certum est. Muller. *loc. cit. lit. v.* Porro non solum in rebus, quas ex causa & ordine naturali futuras seu nascituras expectamus, semper res ipsæ emi intelliguntur; ut nec in rebus, quas per accidens & fortunam potius quam per naturæ cursum speramus, semper ipsa spes solum emi intelligitur, ut Franzk. & alii quidam volunt, quid enim obstat: quò minus spes fructuum æquè ac spes piscium capiendorum, & è contra tam fructus ipsi & pisces capiendi emi possint. Unde diligenter attendendum, quid in contractum emptionis deductum, an res ipsæ, an verò spes, fors & alea. Quod posterius factum censetur, si ipse actus perceptionis fructuum, captura piscium, seu jactus retis fuerit in emptionem deductus. Uti id ipsum etiam factum censetur in rebus illis à fortuna dependentibus in dubio, dum de intentione contrahentium aperte non constat, ut Molin. *loc. cit. d. 340. num. 14.* ita ferè Lauterb. *ad tit. de contrab. empt. §. 24. juncto §. 29.* citans pro hoc Fabr. *in C. tit. de locat. def. 26.* Tulden. *in Cod. tit. de contrab. empt. num. 4.* Zoëf. *in ff. tit. eod. num. 25.* de Lugo *de f. §. 7. d. 34. f. 2. num. 15.* ubi tamen is aliud nihil, quàm quòd res in spe vendi possit, & quòd, si partus pecorum vendantur sit venditio conditionalis, de quo mox. Et in priore quidem casu, dum ipsa res futura emitur, emptio & venditio est conditionalis, hanc tacitam continens conditionem: si aliquid natum vel captum fuerit. Unde hac conditione non impleta, sive si nihil natum aut captum fuerit, venditio & emptio evanescat seu reddatur nulla, nihilque, dum pretium necdum solutum, venditori debeatur, & pretium solutum, emptori restituendum. De Lugo *loc. cit.* Lauterb. Zoëf. Tulden. *LL. cit. Castrop. tr. 33. d. 5. p. 18. num. 10.* qui tamen licet id admittat de emptione fructuum & partu animalium, negat tamen cum Gomef. de emptione animalium piscatione aut venatione capiendorum, quòd ea sit conditionalis, hac assignata disparitate; quòd fructus ex agris & pecoribus colligendi verisimiliter ab emptore præsumantur, adeoque censentur sub conditione contractum; piscatio verò non trahat secum illam capiendorum piscium verisimili-